# QVÆSTIO MEDICA.

## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE MERCVRII II. MAII MAGISTRO GASPARE BRAIER DOCTORE MEDICO REGIO MODERATORE.

*An aquæ minerales mulieres fœcundant?*

NATVRÆ fœcundissimus ager Vterus iure perhibetur, è partium nobilium censu eradendus; idem muliebris corporis veluti sentina; reliquarum corporis partium excrementa suscipit; variis inde morbis atque symptomatis opportunus: quippe qui tum simplicem, tum cum humoris affluxu coniunctam intemperiem patiatur: calidam cum ichoroso præsertim humore consequitur insignis salacitas, æstus, pruritus; frigida pallore stupore, circa lumbos, crura & os sacrum, veneris negligentiâ se prodit: humidam comitatur sopita venus & oblectationis expers: sicca contrà seminis virilis vt terra sicca roris desiderio tenetur: sanguine vero in vterum irruente inflammatur, abscedit, vlceratur, interdum scirrho, carcinomate inemendabili, molâ citra viri congressum nunquam concrescente, inflatione, hydrope, hidroticis maxime curabili, calculo à solo calore concrescente, vermibus tentatur: circa ceruicem rhagadibus, condylomatis, hæmorrhoidibus infestatur: sæpe mensium suppressione, immoderato profluuio aut stillicidio, albo fluore, gonorrhæa tam simplici quam virulenta laborat, quin & vario motu, ascensu, descensu, prolapsu, strangulatum, conuulsionem (mulieribus vt frequentiorem ita periculosiorem) dolorem, furorem denique inferre solet, sed nihil æque nuptas angit sollicitasque reddit atque sterilitas;

STERILES autem sunt mulieres vel quia semen virile etiam prolificum non excipiunt, vt in mensium circa vterum stabulantium suppressione, vtero saturato, in præpingui abdomine, ipsius ore concluso premente omento: vel quia semen exceptum non concipiunt vt in molâ tam viuâ quam mortuâ: aut quia fœtum conceptum suis numeris & partibus absolutum alere fouereque non possunt, vt iis contingit quæ frigidos, densos, præhumidos, siccos, ac præustos habent vteros, in quibus genitura extinguitur, plus æquo diluitur, corrumpitur, vel denique quia propter tum proprium vteri cum partium principum vitium & imbecillitatem gerendo fœtui non sufficiunt:

TOT vteri sterilescentis causis sua quæque præsidia Medicina proponit: Caloris eximij atque siccitatis in vtero mediocritati comparandæ ad concipiendum idoneæ νεωτερισμὸν præscribit lactis asinini vsu, frequenti balneo aquæ dulcis, diæta ciborum meabilium, omnis alienæ qualitatis expertium miniméque sitiferorum: Ad frigidam intemperiem eiusque densitatem θερμάσματα calidarum rerum hystericarum fouendo intus & foris. Denique humidioris vteri ac multa illuuie diffluentis redintegrationem procurat catharticis cholagogis, phlegmagogis, melanagogis, prout varie muliebria istiusmodi humoribus conspurcantur: diæta siccissima, vtitur, decocto radicis chynarum in epulis loco vini, caput fouet decocto cephalico, vterum suffit suaueolentibus aromatis, denique tam sumptis quàm admotis causam sterilitatis oppugnat.

SED inter præsidia humidioris vteri atque impuri (quæ frequentissima esse solet sterilitatis occasio) principem locum obtinent aquæ certo quodam calchanti, sulphuris, aluminis, nitri, ferri, argenti, & similium mineralium mixtionis modo, Chymicorum distillationibus nunquam satis explorato medicatæ, quarum tanta vis est etiam ad obstructa intemperata & male morata maléque constituta viscera præsertim nutritia, vt Spadenses sulphuris & calchanti spiritu insignes in Tigurum finibus scaturientes, præter alia commoda renum arenulas etiam detergunt: Vicomteæ vero in Aluernis sitæ nitro magis aspersæ, mesenterium, pancreas, omentum humorum saburrâ sæpius infarctum per loca naturæ conuenientia liberant: vt & non ita pridem celebratæ ad iecoris & lienis robur Normanæ siue Forgenses ferri copia adstringendi vi præditæ, hydropicis tamen saluberrimæ: Cæteræ denique in Galliâ, Italia, Hispaniâ, alijsque orbis regionibus cerebro neruis alijsque corporis partibus morbo obsessis dicatæ.

CVMQVE sterilitati abigendæ sæpenumero illa artis Medicæ præsidia retundantur, ab aquis istis auxilia certa (præmissis vniuersalibus venæ sectione, purgatione, nec-non diligenti exactáque corporis ac humorum præparatione) petuntur vtpote quæ partium corporis intemperiem emendant, tenuitate angusta quæque viarum traijciunt, infarctúsque quamtumuis contumaces & inueteratos expediunt, dura emolliunt, laxa firmant, denique diuersos effectus non raro producunt: hinc sæpe ab aquarum istarum vsu opportuno nigra viridia, flaua, cærulea, & alia id genus humorum partiumque affectarum varietatem indicantia excrementa, per aluum & vrinas & per sudores deturbantur, vomitus varij, menstrua hæmorrhoides plurimorum affectuum à plethorâ & à cacochimiâ curatrices, Denique sibi inuicem contrariæ sæpe vacuationes (quod arti citra corporis dispendium negatum est) excitantur. Dicam verbo, ab his humidiores vteri desiccantur, humescunt cicciores, æstuantes refrigerantur, refrigerati calefiunt, pinguiores tenuantur, vel densi rarefiunt: denique mulieres viris, minime morbosis & valetudinarijs, sed succulentis iunctæ post aquarum earum vsum ad securam legitimámque conceptionem apparantur.

*Ergo aquæ minerales mulieres fœcundant.*

Asserebat Lutetiæ PETRVS DE BEAVRAINS Parisinus, Anno R. S. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Ioannes Cousin.* Medic. Reg.
*M. Hieronymus Goulu.* Professor. Reg.
*M. Symphorianus Hautin.*

*M. Henricus Blacuod.* Med. Reg.
*M. Gabriel Biard.*
*M. Ioannes Desgoris.* Med. Reg.

*M. Robertus le Sec.*
*M. Simon le Telier.* Med. Reg.
*M. Richardus Merces.*